

# Gymnasium zu Anclam.

Zu

der am 6. März stattfindenden

## öffentlichen Prüfung aller Klassen

und zur

### Gedächtnissfeier

der durch göttliche Gnade bewirkten Errettung der Stadt Anclam

von drohender Einäscherung

im Jahre 1713,

**Freitag vor Judica, den 7. März.**

ladet

*im Namen des Lehrer-Collegiums*

ergebenst ein

**Professor Dr. Sommerbrodt,**  
Director.



#### **Inhalt:**

- 1) De parabasi, antiquae comoediae Atticae interludio.  
Vom Gymnasiallehrer Dr. C Kock.
- 2) Schulnachrichten. Vom Director.

---

**Anclam.**

Gedruckt bei W. Dietze.

**1856.**

gan  
3 (1856)

Handbuch der Buchdruckerei

der am 6. März 1873 in Berlin

öffentlichen Prüfung aller Klassen

Gedächtnisfeier

zu dem 100. Geburtstag des Kaisers

von Friedrich Wilhelm

am 1. März 1873

Verlag von Julius



Verlag von Julius

Verlag von Julius

Verlag von Julius

Verlag von Julius

Verlag von Julius

Verlag von Julius

## De parabasi, antiquae comoediae Atticae interludio.

Comoedia Graeca qua ratione a phallicis illis cantilenis, e quibus originem duxit, (Aristot. *περὶ ποιητ.* IV) ad eam usque formae amplitudinem perfectionemque perducta sit, quam Peloponnesiaci belli aetate reperimus, quum ipse Aristoteles nescire se confiteatur (*περὶ ποιητ.* V), mirum profecto non est, nos magno temporum intervallo disjunctos certisque veterum scriptorum testimoniis destitutos, quod quidem fide dignum sit, nihil fere ea de re efficere posse. Quamquam, unde factum sit, ut comoediae primordia tenebris illis circumfusa lateant, non ignoramus, sed a summo philosopho edocemur, comoediam initio neque apud cives, neque apud magistratus eodem, quo tragoediam, honore fuisse, sed humili quodam cultu tamquam privignae loco habitam esse. Quamobrem non dijudicaverim, suisne ipsorum ingeniis leges, quibus jocosum dramatis genus circumscriptum videmus, poetae comici invenerint, an tragoediae, quae prius exulta esse videtur, rationem seculi sint. Nam id quidem in literarum Graecarum studio vel obiter versanti facile occurrit, tragoediam comoediamque indole dissimillimas, forma autem esse ita similes, ut, si summam rem spectes, ad idem fere exemplum videantur esse compositae. Quod autem interest inter utramque, id eo abire contendas, ut, quibus legibus comoedia tenetur quidem, ita tamen, ut, quae est ejus petulantia, nonnihil sibi interdum indulgeat, eas tragoedia summa severitate observet. Ac metris quidem iisdem fere utitur comoedia, atque tragoedia, nisi quod altera numeris studet gravibus atque severis, altera solutis gaudet atque liberioribus. Jam ne id quidem omnino negligendum comoedia sibi censeat, ut, quidquid agatur, eodem loco fiat, brevi temporis spatio contineatur, justa denique ratione, et singularum personarum, et universae fabulae indole atque moribus servatis, ad finem usque perducatur. Attamen hisce in rebus saepissime peccant poetae comici, et ita quidem, ut ex industria et risus movendi causa peccare eos nemo non videat. Perridicula sane species offertur, quum Trygaeum Pegaso illi stercoreario impositum in coelum ascendentem, inde derepentem, vel Bacchum in longo, quod suscepit ad inferos, itinere desudantem videmus. Nec minore imbuimur hilaritate, quum Amphitheum a Dicaeopolide Spartam missum ad pacem conciliandam vix quadraginta versibus interjectis peracto negotio redeuntem facit poeta, vel quum Agoracritum, quem malorum pessimum et sordidorum sordidissimum modo finxit, praeter opinionem improviso publicae salutis auctorem, libertatis vindicem, morum correctorem, optimum denique civem evasisse persuadere nobis studet. Quae tamen omnia ita sunt comparata, ut lex illa negligatur, non tollatur.

Jam vero similitudo, quae intercedit inter comoediam atque tragoediam, ea re maxime turbatur, quod comoedia partem peculiarem ascivit, quae a tragoedia prorsus aliena est, parabasin. Erat autem parabasis antiquae comoediae Atticae interludium, partim oratorium, partim canticum, partim saltatorium, quod solo choro agente semel bisve majore fabulae parte finita in intervallis actione vacuis collocabatur, itaque agebatur, ut fabulae tenore misso modo singuli saltatores de rebus cum fabula ipsa laxiore aut nullo omnino vinculo conjunctis dissererent, modo chorus universus deorum laudes aliudve quid caneret. Quam comoediae partem quum multi obiter, Kolsterus (de parabasi, veteris comoediae Atticae parte antiquissima, Altonae 1829) et Koesterus (de Graecae comoediae parabasi, Sundiae 1835) diligentissime atque copiosissime tractaverint, erunt fortasse, qui mirentur, me retractandam sumpsisse. Quorum me spero veniam esse impetraturum, si cognoverint, nonnihil certe in ea re superesse, quod accuratiore quaestione egeat. Ego vero tantum abest ut summa cum laude viros illos doctissimos in hoc argumento versatos esse negem, ut omne laturus esse punctum mihi videar, si non omni ex parte inferiorem me iis praestiterim.

Ac primum quidem dicendum est, cur usi sint parabasi poetae comici. Quae causa ab externis plerumque rebus petita est. Ita Kolsterus (p. 33) ibi demum parabasin locum habere contendit, „ubi finita parte fabulae spectatori aliquo tempore opus sit, ut animum a ridendo remittat.“ Contra alii ob id maxime ascitam eam contendunt, ut aliquantum temporis effluxisse significet et intervalla actione vacua expleat. Quorum neutrum prorsus placet. Prior enim ratio quasi vitio quodam poetae nititur, qui inventis suis ita uti nescierit, ut usque ad finem fabulae sine animorum lassitudine spectatores rei interesse possent, altera autem ea quodammodo de re poetam compellat, quod comoediam parum artificiose composuerit. Praeterea si vacuis tantum actione intervallis parabasis explendis inserviret, non video, tragoedia quomodo hoc interludio carere potuerit, aut cur poeta comicus non eodem remedio usus sit, quo tragicus, solis chori cantibus. Non equidem negem, sententiis illis veri aliquid inesse, sed natam ob eas causas parabasin vix crediderim.

Statuo parabasin insita quadam necessitate natam esse. Antiqua enim comoedia in publicis maxime rebus versatur et res e civitate vitaeque communi petitas in scenam producit, perraro cavillationis tantum causa, plerumque eo consilio, ut quae mutanda sint et corrigenda, demonstraret. Quod optime quidem fabulae ipsius argumento efficere poterat poeta, quum tale argumentum tractaret, quo omnia, quae dicenda essent, comprehenderentur. Attamen multa superesse poterant, quae neque fabulae tenori inseri, neque tectis jocis satis explicari possent. Deinde quum publicam quasi personam poeta comicus gereret, opus erat, ut de se fabularumque consiliis aperte verba facere, ab inimicorum calumniis se defendere, suarum comoediarum artificium atque venustatem, alienarum vitia atque sordes monstrare, perversa judicia redarguere spectatoresque favorem expetere posset. Praeterea ea, quam chorus induerat, persona jocorum copiam suppeditare poterat, quibus ad civitatis statum alluderet; quae quidem alio loco, atque in interludio, poni nequibant, nam dum fabula ipsa agitur, chorus in scenam conversus res ibi tantum gestas spectat, nec tum de se ipso ei dicere licet.

Satis multa igitur poetam movebant, ut interludium, sive unum, sive duo componeret, quippe quo simul intervalla actione vacua novo modo expleri possent. Nam interludium quidem non medium fabulae filum dirumpere, sed eo tantum loco collocari poterat, ubi majore fabulae parte finita actio quasi ipsa aliquantum remitteret, priusquam in novam speciem consurgeret. Ita parabasis, etsi non alienam ob causam nata, non plane sui arbitrii erat, sed ex fabulae ratione pendebat.

Quodsi de reipublicae statu, de semet ipso, de suis aliorumve fabulis poeta uberius disserere vellet, opus erat oratione perpetua. Neque vero tamquam in foro soluto pede eum incedere decebat,

sed quidquid dicturus erat, versuum quasi vinculis quibusdam erat adstringendum. Huc accedebat, quod, quum communi dramatis consuetudine omnia actionis intervalla chori cantibus explerentur, chori cantus jam priores aderant tamquam fundamenta interludii, iisque partes oratorias superstrui necesse erat. Hoc si tencas, non mirere parabasin eam potissimum formam induisse, quae ubique reperitur. Chori enim cantus bipartiti erant, itaque tribus tantum locis pars oratoria collocari poterat, statim initio, inter stropham et antistropham, in fine denique totius carminis. Jam quum strophae et antistrophae ea esset conditio, ut et metris et cantus saltationisque modis altera penitus responderet alteri, sermones quoque duo respondendi legem sequi debebant. Duae igitur dabantur partes oratoriae, quarum altera ex alterius ratione penderet, una, quae sui esset juris. In quo ne id quidem sine justa causa factum videtur, quod prima pars, quae stropham antecedit, aliunde non pendet, duae, quae carmini inseruntur, ad ipsius carminis exemplum conformantur, nam respondendi lex non nisi ex carmine oritur, itaque, quae sequuntur carmen partes, recte tenentur lege illa, non, quae antecedit.

Quinque igitur partes habemus, in quibus summa interludii posita est, I sermonem, quem sui arbitrii esse diximus (*ἀνάπαιστοι* sive *παράβασις* sensu arctiori) II et IV stropham et antistropham (seu *ὄδῃ καὶ ἀντιὄδῃ*), III et V duas partes oratorias respondendi legi obnoxias (*ἐπιρῥῆμα καὶ ἀντεπιρῥῆμα*). Quibus duae addendae sunt particulae, altera in prooemio totius interludii collocata et paucis plerumque verbis constans (*χομιμαίον*), altera vix pars appellanda, sed re vera primi sermonis conclusio (*πνῆγος* sive *τὸ μακρόν*).

Quamquam non omnes parabases septem his partibus constant, sed duo genera reperiuntur, magna et parva parabasis. Supra jam dictum est, aut unum, aut duo interludia fabulis addi posse. Itaque una tantum si datur parabasis, plerumque eo, quem adumbravimus, modo componitur magnaue appellatur; contra si duae admittuntur, prior quidem in eandem hanc formam effingitur, secunda autem, resecta prima parte oratoria duabusque illis particulis, cantibus tantum chori duabusque strophicis partibus oratoriis constat parvaue nominatur. Quamquam ne hoc quidem accurate dicitur, neque enim omnes parabases integrae, sed saepe aliqua ex parte mancae sunt.

Itaque principium et fontem parabasis chori cantus esse apparet, ex iisque totum interludium crevisse. Comoedia autem et tragoedia quum eadem origine natae essent, fuerunt, qui parabasin comoediae partem antiquissimam vel potius pristinam formam esse contenderent. Quam ego sententiam etsi plane refutare non ausim (neque enim certi quidquam de pristina comoediae forma compertum habemus) vereor tamen, ne veri sit similior, quam verior. Aristoteles enim et comoediam et tragoediam initio *ἀντισχεδιαστικὴν* fuisse tradit. (c. IV.) Jam si ex tempore inter canendum chorus vel saltatores singuli verba funderent, fieri vix potuit, ut tota res artificiosam illam subtilemque formam indueret, quam in parabasi exstare videmus. Omnino certa stabilisque pristini dramatis forma non videtur fuisse. Id vero libenter concesserim, similitudinem quandam inter parabasis ipsiusque dramatis originem intercedere.

Comoediae parabasis propria est, in tragoedia non reperitur. (cf. Kolster p. 38.) Qui enim probare volet, non prorsus alienam fuisse a tragoedia, haud recte laudabit Poll. IV, 111; Athen. XIII, 592, b. Aristid. T. 2 p. 523. Pollux statim initio dicit: *Τραγικὸν δὲ οὐκ ἔστιν*, et quae sequuntur, inde orta sunt, quod voces *παραβαίνειν* et *παράβασις* in eum paullatim sensum abierunt, ut quidquid extra fabulam ipsam dicebatur, significarent. Quae vocum significatio sensim ita percrebuit, ut a Suida principalis haberetur. Suid. s. voce. *παράβασις δὲ λέγεται, ἐπειδὴ ἀπήρτηται τῆς ἄλλης ἐποθέσεως*. Pari sensu Aristides dicit, *σικρόν τι περὶ αὐτῶν παραβῆναι*, ubi parabasis ipsa intelligi non potest, nam ibi neque *σικρόν τι*, neque *πολύ τι παραβαίνεται*, sed certa quaedam species offertur, certis legibus

coercita. Loci igitur illi non eam, de qua nos agimus, parabasin spectant, sed interludii hujus consuetudinem, fabulae tenore misso aliis de rebus disserendi. Nam argumenti quidem similitudo nonnumquam in tragoedia reperitur, etsi deflorescente demum arte tragica mos ille provenit, primum apud Agathonem (Aristot. *περὶ ποιητ.* 18), deinde apud Euripidem, cuius haud scio an sententias illas Pollux, qui voce *πολλάκις* utitur, spectaverit, quas ille neque cum fabula cohaerentes, neque chori naturae accommodatas de philosophia similibusque rebus chori ore pronunciat. Sophocles ea tantum, quam habuit cum Euripide, controversia coactus parum aptis ejusmodi digressionibus usus esse videtur.

Ipsa autem parabasis a tragoedia plane abhorret. Tragoediae enim argumentum e tempore praeterito petebatur; tempus autem praeteritum singulis fabulis exstabat, inter se sejunctis. Itaque poetae tragico semper separata quaedam imago offerebatur sine illa rerum forte incidentium copia, qua praesenti tempore omnia cinguntur atque obruuntur. Sed quum secretam ejusmodi rem tractaret, non erat, quod ad alias res transiret, quae aut omnino non dabantur, aut si darentur, ad alteram pariter sejunctam fabulam pertinerent. Nam res e tempore praesenti petitas fabulae inserere, aut in interludio ponere poeta si voluisset, neque temporis, neque argumenti aequalitas servari potuisset. Nam quantum intererat inter veterum heroum tempora eamque aetatem, qua tragoedia manes eorum quasi revocabat ab inferis! Illic semideorum imagines gloriaeque immortalis splendor, illic praestantissimi viri, quorum virtutes divinis prope honoribus colebantur, illic summae res gestae, nullis vitae sordibus adpersae. Nam eo, quo quaeque res agitur, tempore nihil fere magnum videtur, quod omnia e parvis rebus composita sunt et sensim quasi concrescunt, nec ullus vel summus vir vitio labeque caret.

Quod quum omni tempore verum sit, tum maximi momenti fuit apud Graecos, omnem vetustatem et imprimis vetera saecula summa pietate colentes. Parum apte igitur poeta tragicus egisset, si splendoras illas heroum et semideorum imagines ad quotidianae vitae humilitatem devocavisset, ita enim spectatores adempta subito fabulae ficta ratione quasi expergefatti nimis dubitantes ad insequentem tragoediae partem accessissent nec facile ad priorem affectus altitudinem revocari potuissent.

Contra in comoedia spectatorum animi nulla affectus diversitate perturbabantur, si in parabasi alias res poeta tractaret, atque in ipsa fabula, quippe quae eodem tempore gestae et cum fabulae argumento, si minus necessitate ulla, at certe communi origine conjunctae essent.

Quo tempore orta sit parabasis, in dubio est. Quum vero steterit, ceciderit cum antiqua comoedia, nihil obstat, quominus natam quoque esse cum exulta comoediae forma arbitremur. Qui de antiqua comoedia scripserunt veteres auctores, parabasin tamquam insigne antiquae comoediae proprium notant, nusquam postea ad fabulam eam accessisse addentes. Id vero enixe contenderim, sensim ac per partes parabasin oriri non potuisse, id quod Koestero placet (p. 13 et 14.). Is enim primum epirrhema natum esse arbitratur, paullo post antepirrhema accessisse, initio denique belli Peloponnesiaci anapaestos additos esse. Anapaesti vero si aetate illa, de qua satis multa memoriae prodita sunt, primum compositi essent, mirum foret, nullis nos veterum scriptorum testimoniis eam rem edoceri. Nam de comicorum poetarum ingeniis, de componendi ratione, de singulis fabulis satis multa exstant, nec videtur ea parabasis mutatio silentio transiri potuisse. Immo, quod nihil de anapaestorum origine traditum est, ad obscuriorem aetatem origo eorum deferenda est. Ceterum opinio illa eo errore nititur, quod Koesterus anapaestos imprimis politicam parabasis partem esse putat, itaque ea demum aetate nasci potuisse, qua omnium civium animi in rempublicam essent conversi. Cujus ratiocinationis etiamsi propositio vera esset, ut omnino comoediae, quod Koesterus ipse contendit, ita anapaestorum quoque indoles belli Peloponnesiaci initio mutari et in majorem licentiam adduci potuisset. Verum neque id recte dicitur, anapaestos imprimis in rebus publicis versari, quod postea demonstrabitur, et certo jam ante bellum

Peloponnesiacum civium studia ita enixe versabantur in republica, ut inepte poeta non ageret, si de civitatis conditione in parabasi dissereret. At ne epirrhema et antepirrhema quidem simul, sed alterum post alterum natum esse, vereor, ut cuiquam Koesterus persuadeat, parum enim liquet, quomodo una pars oratoria cum duabus strophicis apte et ad symmetriae legem conjungi potuerit. Ante stropham si ponas, fieri non potest, quin ante antistropham similem partem addas, si post stropham colloces, post antistropham quoque desideratur. Quod autem Koesterus in Thesmophoriazisis v. 830 epirrhema solum reperiri dicit, id contra nostram sententiam nihil facit, ibi enim chori cantus deest, quo respondendi necessitas efficitur. Pari ratione Nubium quoque secundam parabasin Koesterus laudare poterat, ubi idem factum videmus. (v. 1115.)

Universam igitur parabasin simul natam esse censeo. Ac natum modo hoc interludium non solum necessarium comoediae additamentum, sed etiam insigne quoddam decus putabatur. Quin etiam tanti aestimabatur parabasis bene composita, ut ob hujus partis artificium Athenienses (quod per raro factum comperimus) Ranas fabulam iterum agi juberent (hypothesis I et III), poetamque corona sacrae oleae foliis nexa donarent. (vita Ar. XII, 26.) Quamdiu antiqua comoedia vigeat, semper semel bisve rupto fabulae filo chorus ad parabasin se accingebat et apud Aristophanem non minimam facetiarum partem in hoc interludio conditam reperimus\*). Ex ipsis verbis percipere possumus, quanto gaudio, quantaque voluptate in componenda parabasi poeta versetur, et quantopere imprimis in epirrhemate et antepirrhemate delectetur, quum ex vesparum, avium, aliarum bestiarum prodigiorumve oribus jocos elegantissimos profundat.

Sed is comoediae vigor prospero tantum civitatis statu esse potuit. Haec enim antiquae comoediae conditio erat, ut poetae tamquam majore boni parte freti contra minorem mali partem pugnarent. Multa sane erant, quae improbarent, multa, quae emendanda censerent. Neque enim fallebat eos, mores institutaque majorum labi, religionem pietatemque erga deos sophistarum maxime doctrina infringi, leges temere mutari atque negligi, perditos persaepe homines rempublicam capessere et salute communi neglecta suis commodis servire, bello denique gravi atque ancipiti summum civitatem discrimen adire. Neque tamen his de causis desperandum putabant de republica, nam supererant etiamtum, quibus confiderent aut certe se consolarentur. Nam pollebat civitas opibus atque tributis, vigeat patriae amor, manebat integrum quasi robur illud popularis indolis. Gaudebant communi libertate alacrisque civium animis, gaudebant amoenitate urbis artiumque elegantium atque ingenuarum studiis.

Sed quum in Sicilia juventutis robur amissum, quum aliis multis cladibus damnisque fractae vires opesque exhaustae essent, quum civitas debilitata atque defatigata neque contra hostium arma satis valida, neque contra inimicos oligarchiam atque tyrannidem parantes firma aut prompta esset, comoediae quoque licentiam atque petulantiam imminui necesse erat, donec eum, quem habuerat, splendorem plane exueret novamque speciem indueret. Nam antiquae comoediae communis quodammodo semper cum civitate sors fuerat; floruerat cum republica, nec mirum, concidisse quoque eam cum populo ipso. Etenim in tantis temporum angustiis unde poeta e republica fabulae argumentum peteret? Non opus jam erat cavillatione, nam civitatis status misericordiam potius movebat, quam irrisionem, non opus jam erat consilio atque adhortatione, quae quum labantem non sustinere potuissent rempublicam, ipsi exitio profecto mederi non poterant. Nec mireris, civitatem Atheniensium tot externis domesticisque malis afflictam, acutiore paulatim sensu percepisse aegriusque tulisse comicorum poetarum

\*) Lysistrate et Ecclesiazusae cur careant parabasi cf. Kolsterum p. 32, Ὀδυσσεὺς Cratini cur chori cantibus et parabasi videantur caruisse, Meinekium, hist. crit. com. Graec. p. 43.

aculeos. Itaque vario modo dignitas comoediae imminui et legibus quoque in eam consuli coeptum est. Anno 440 primum Morychide archonte legem τοῦ μὴ ὀνομασιὶ κομωδεῖν latam, anno 416 Syracosio auctore restitutam esse constat. Quae etsi non diu valuit et id tantum cavebat, (Meineke pag. 14. Fritzsche Quaest. Ar. 319) „ne poetae comici, si quem laedere vellent, eum nominatim et ignominiosas partes agentem in scenam producerent,“ tamen documento est, viris potentibus comicae musae libertatem semper fere fuisse invidiae. Simili de causa lege sancitum fuisse suspicaris, ne quis Areopagita comoediam scriberet. (Athen. p. 348, c.) Quid, quod Cleonem, (Acharn. 377. 502. Vesp. 1284.) Alcibiadem (de comoed. IX, a, 160), Antimachum (Acharn. 1150), Cinesiam (Pollux III, 115), Agyrhium seu Archinum (schol. Ran. 367. Eccl. 102) variis conatibus comoediae libertatem infringere studuisse comperimus!

Publicam igitur personam comoedia ponebat et e vita privata vel e fabulis antiquis plerumque argumenta petebat\*). Parabasis autem partes quum prae ceteris essent publicae, eam quoque temporum iniquitate interire oportebat, quippe aut omnino non erant, quae poeta, privatam personam gerens, apud spectatores dissereret, aut, si essent, consueto more dici non poterant.

Sed altera quoque de causa factum est, ut comoedia interludio privaretur. Jam supra memoratum est, bello Peloponnesiaco et imprimis clade Siciliensi civitatis opes esse exhaustas, ita ut res publica summa inopia premeretur. In Aristophanis quoque fabulis vestigia deprehendere licet egestatis, jam eminens modo appropinquantis, jam intrantis, jam longius proximo quoque anno grassantis. In Pace fabula primum inter ipsum clamorem et gaudium absona haec vox auditur, sensimque increscit usque ad Ranas, quae ultima earum, quae servatae sunt, fabula habet parabasin. In Ecclesiazusis ita aucta est, ut omnia quasi percieat atque perturbet, Pluti denique ipsi argumento se inculcavit et ficto tantum et commenticio remedio tollitur.

Antiqua autem comoedia, sine magno sumptu agi non poterat, choragiumque permagno constabat. (cf. Boeckh's Staatshaush. 600 seq. et 705 seq.). Jam quamdiu cives opibus pollebant, magnum choragorum in eo certamen factum videmus, ut chorum et exercitatione et apparatu praestantissimum praeberent. Sed quum egestate civitas premeretur, non honori, sed oneri choragi munus esse putabatur et aut quoquo modo recusari coeptum est, aut minimo sumptu obiri. Tandem quum singuli oneri perferendo non sufficerent, communibus duorum sumptibus chori edebantur, donec eo res pervenit, ut chorus inutilis et tamquam πάρεργον quoddam esse videretur. Sed antequam chorus plane omitteretur, partes ejus jam aliqua ex parte circumcisae sunt, ejecta e comoedia parabasi. Parabasis et ab aetatis illius ingenio maxime aliena erat, et accuratissima saltatorum exercitatione splendidissimoque apparatu egebat. Summa enim interludii in eo versabatur, ut remotis histrionibus et omnium oculis mentibusque in eum conversis, chorus ter vario modo saltaret, duo longiora, unum brevius carmen cantaret, tres denique choreutae oratione perpetua apud spectatores uterentur. Quamobrem choragorum plurimi intererat, ut interludio certe illo supersederent.

Sed satis atque abunde de universa parabasi disputatum est, transeundum jam videtur ad singulas res et primum quidem quaerendum, qua ratione in theatro acta sit parabasis. Prae ceteris autem, quod ad chori partes pertinet, externa chori comici species paucis exponenda est.

Chorus comicus e viginti quatuor saltatoribus constabat. (schol. av. 297. Pollux IV, 109. Suidas s. v. χορός. περὶ κομωδίας IX, a, 245.) Quo in numero principem chori inesse censeo\*\*). In scholio

\*) Antiquae comoediae aetas ad Olympiadem 96 (a. 396) maxime pertinuisse videtur. Meineke p. 27.

\*\*\*) Non inesse placet Schneidero att. Theaterwesen p. 198.



enim Equitum v. 586 relatum legimus, quoties chorus e viris et mulieribus esset compositus, viros saltasse tredecim, mulieres undecim; quoties e senibus et pueris, majorem partem fuisse senum, quoties e mulieribus et pueris, mulierum. Quod ob eam tantum causam factum esse apparet, quia ei parti, in qua plus auctoritatis inesset, major quoque numerus erat tribuendus. At ni princeps inter viginti quatuor illos saltatores numeraretur, opus non fuisset impari distributione, satis insignis enim potior pars fuisset, si dimidiatis hemichoriis princeps potioris numero additus esset. Quod autem inerat in eo numero, et ipse parti potiori addendus erat, et qui restabant saltatores viginti tres, quum dimidiari non possent, ita erant distribuendi, ut potiori parti major numerus, duodecim, inferiori minor, undecim, daretur. Ita si duodecim illis saltatoribus principem adnumeramus, ab altera parte tredecim, ab altera undecim efficiuntur.

Sed hominum XXIV caterva nec saltare, neque agere apte poterat, nisi in certum ordinem redacta. Ac primum quidem certa statione opus erat, quam semper tenerent saltatores, aut aliquam ob causam relictam repeterent. Chorus igitur comicus quatuor ordinibus parallelis constituebatur, senos saltatores continentibus. Ita tetragonalis forma efficiebatur, quae si a latiore parte spectaretur, quatuor seriebus (*στοίχος*) constabat, si a minore, sex ordinum, quasi jugi (*ζυγόν*) instar compositorum speciem praebebat. Quamobrem altera statio *ἢ κατὰ στοίχους*, altera *ἢ κατὰ ζυγὰ τάξεις* appellabatur.

Princeps chori in tragoedia *τρίτος ἀριστεροῦ* (scil. *στοίχου*) vocabatur (Phot. p. 604, 19), in comoedia, ubi duo dabantur *τρίτοι ἀριστεροῦ*, *ἀριστεροσιάντης* angustiori vocis notione. (Bekk. anecdot. p. 444, 15. *ἀριστεροσιάντης ἐν τῷ κωμικῷ καλεῖται χοροῦ, ἐν δὲ τῷ τραγικῷ μέσος* (scil. *τρίτος ἀριστεροῦ*.) Sinistra autem series ea erat, quae proxima stabat a spectatoribus (Phot. l. l.) et in ea princeps constitutus erat, partim, quod rectorem chori decebat, saltatores, quibus praeerat, a dextra habere (schol. Aristid. p. 535. *ἵνα εὐρεθῇ ἐκ δεξιῶν τοῦ ἄρχοντος*), partim quod omnibus spectatoribus conspicuus esse debebat. Atque in tragoedia quidem dubium non est, quemnam sinistri ordinis locum princeps obtinuerit, quum enim quinque omnino sinistri ordinis saltatores essent, *τρίτος ἀριστεροῦ* manifesto medius est. Contra in comoedia inter sex sinistri ordinis saltatores duo medii dabantur, quorum uter princeps fuerit, dijudicare non ausim.

Praeter principem optimus quisque saltatorum sinistrum ordinem tenebat, (schol. Arist. l. l. Phot. l. l.) minore honore dexter ordo, proscenio proximus et, quamdiu chorus *κατὰ στοίχους* esset collocatus, a spectatoribus remotissimus, habebatur, vilissimi denique saltatores (*λαυροσιάνται*) in medio loco constituti erant, ubi, si quid forte vitii admitterent, facile latebat. Singuli saltatores per fabulam ipsam *ἀντιπρόσωπον ἀλλήλοις* stabant (Hephaest. p. 131) i. e. sinistrum ordinis uniuscujusque dimidium dextro frontem adversam praebebat, ita ut ab altera manu spectatores haberet, ab altera histriones. Ceterum, ut par erat, dum in scena res agebatur, vultus saltatorum in scenam conversi erant. (*περὶ κωμωδίας VII.*)

Hanc igitur stationem chorus per fabulam ipsam tenebat, exeuntibus autem histrionibus ordo ille immutabatur, imprimis in parabasi.

Vox *παραβαίνειν* et *παράβασις* motionem significat et ejusmodi quidem motionem, qua statio aliqua deseritur et ad alium quem finem prope acceditur. Utramque hanc notionem parabasis, quam nos tractamus, continet, quippe qua chorus solitam *κατὰ στοίχους* stationem relinquit et ad alium finem accedat, nimirum ad spectatores. (*πρὸς τὸ θέατρον*, sive *εἰς τὸ θέατρον*. Acharn. 629. Pax. 735. Equit. 508.)\*

\*) Aristophanes praeterea voce *παραβαίω* utitur Thesm. 785, eandem hanc motionem significans, et Vesp. 1528, ubi simile saltationis genus, ad spectatores conversum, subesse videtur.

Proprio igitur sensu parabasis nihil aliud erat, nisi motio illa in spectatores conversa, postea vero hoc nomen novam quoque stationem, quam *παρὰβαίων* chorus consequebatur, significabat, donec omnia amplecteretur, quae in nova illa statione canebantur, dicebantur, fiebantque. Quin apud grammaticos, id quod supra jam dictum est, vox *παρὰβαίνειν* eum etiam sensum induit, ut omissa movendi notione significaret, quidquid extra fabulam aut eam, quae agebatur res, dicebatur.

Sed quaerendum est, qualis fuerit illa motio. (schol. Nub. 518. schol. Equit. 508. schol. Pac. 733. Pollux IV, 111. Hephaestio p. 131. Platonius *περὶ διαφορᾶς κομ.* 44. *περὶ κομωδίας VII. περὶ κομ.* IX, a, 203. Suidas sub voce.)

Primum jam luce clarius est, verti chorum in parabasi, non recta via ad spectatores progredi. (schol. Pac. 733. *ἐστρέφετο δὲ ὁ χορὸς cet. εἶτα διελθόντες τὴν καλουμένην παράβασιν ἐστρέφοντο πάλιν εἰς τὴν προτέραν σιάσιν.* Suidas s. v. *Τοῦτο λέγεται παράβασις, ἅπερ ἔλεγον ἐπιστρέφοντες οἱ χορευταὶ πρὸς τοὺς θεωμένους.* cet.) Deinde chorus finita motione parabatica *κατὰ ζυγὰ* collocatus est, quod et ipsum testatur, verum esse chorum. Suidas s. v. *ἐστῆσι μὲν γὰρ κατὰ σιοῖχον οἱ πρὸς τὴν ὀρχήσισαν (?) ἀποβλέποντες, ὅταν δὲ παρὰβαῶσιν, ἐφεξῆς ἐστῶτες (i. e. κατὰ ζυγὰ) καὶ πρὸς τὸ θέατρον ἀποβλέποντες τὸν λόγον ποιοῦνται.* Idem reperitur schol. Eq. 508. Nec repugnat schol. Pac. 733. *ἐστρέφετο δὲ ὁ χορὸς καὶ ἐγίνοντο σιοῖχοι δ'.* Statio enim hic praeter morem nominat non ab ordinibus, qui spectatoribus frontem adversam praebent, sed a quatuor seriebus, quae antea secundum proscenium lineis parallelis steterant, in parabasi vero lineis directis inter proscenium stant et caveam mediam.

Quomodo autem versationem illam factam esse existimemus? Nam nihil ea de re veteres auctores tradunt. Haud dubie parabatica statio ea esse debebat, qua chorus a sinistra dextraque caveae parte idem fere distaret. Itaque circum cornu aut dextrum, aut sinistrum chorus circumagi non poterat, quod ita in media orchestra constitui nequibat. Praeterea ex eo, quod inter ipsam versationem cantari solet, cantico, quodque paucis plerumque versibus continetur, perspicitur brevi tempore parabasin fuisse absolutam. Propterea non inepte conjicias chorum circa se ipsum versari et eorum quidem aliquem saltatorum, qui in media parte stabant. Ubi quum principis locus sit, dum melius quid alius exploret, mihi persuasum erit, circa principem versari chorum. Ita nova omnino statio efficiebatur, ἢ *κατὰ ζυγὰ τᾶξις*, sex jugis parallelis inter scenam et spectatores constitutis. Jam quod cum spectatoribus in interludio choro res erat, aequum erat, ut omnibus e partibus frontem adversam spectatoribus praerberet. Hephaest. l. l. *καὶ εἰς τὸ θέατρον ἀποβλέποντες ἔλεγόν τινα. Περὶ κομωδίας VII. καὶ ὅτε μὲν πρὸς τοὺς ὑποκριτὰς διελέγετο, πρὸς τὴν σκηνὴν ἀφώρα, ὅτε δὲ ἀπελθόντων τῶν ὑποκριτῶν τοὺς ἀναπαίστους διεξίει, πρὸς τὸν δῆμον ἀπεστρέφετο.* schol. Nub. 518. *παράβασις δὲ ἐστίν, ὅταν — ὁ χορὸς μεταβᾶς ἀπαγγέλλῃ πρὸς τὸν δῆμον ἀφορῶν.*

Ubi vero versatione facta chorus constiterat, princeps orationem dicebat ad spectatores (*ἀνάπαιστοι*), finitamque orationem strophā chori sequebatur, quam cum saltatione conjunctam fuisse contendendo, non ignarus, spectatorum antiquarum litterarum cognitione virorum eam esse sententiam, ut chori dramatici cantus, exceptis parodis quibusdamque aliis, saltatione caruisse censeant. Atque hic quidem de parabasi tantum agitur.

Primum, ne id afferam, quod levioris fortasse argumenti est, permiram rem futuram fuisse, si chorus spectatorum oculis atque mentibus in eum conversis per totam parabasin immotus stetisset (nam in partibus quidem oratoriis saltationi locus non erat), haud scio an iis chori cantibus, quibus dei seu numina *ἐς χορὸν* vocantur, saltatio adesse debuerit. Nub. 563. et 595. Equit. 551 et 581. Immotus enim chorus quomodo deum advocare poterat? Unde aninis plane quietis ea cogitatio

veniret? Quidnam faceret deus in choro? Staretne ἀπόπληκτος inter choreutas ὡςπερ ἀποπλήκτους σιάδην ἐσιῶτας ὠρνομένους. Aliter res se habebat inter saltationem, ubi sanguine moto animisque concitatis facile ejus modi votum nasci poterat. Praeterea cantu et saltatione deorum simulacra chori colere solebant, itaque jam eam ob rem fieri poterat, ut choreutae saltantes et canentes hic deorum aspectum desiderarent. Ita in Soph. Ajac. v. 693 Pan appellatur, ut saltationi praesit, nec fortuito ibi Νύσια καὶ Κνώσια ὀρχήματα dici censeo, sed quod chorus, necopinato gaudio excitatus, novum et inconsuetum saltationis genus edoceri vult. (Utitur enim non consueta emmeleia, sed ὑπορχηματικῶ.) Pari modo in Ranis fabula v. 324, 398, seq. Bacchus invocatur, ut mystarum choreis intersit, in Pace v. 775 musa, ut pacem modo partam praesens saltatione celebret. Neque aliter res se habet in Avibus v. 730 seq., ubi avium chorus musam appellat, addens, se cum ea μητέρι ὀρεῖα σεμνὰ χορεύματα edere solere. Vereor, ne mira fuerit poetae sententia, si aves re vera in μητρὸς ὀρεῖας honorem saltantes sibi finxerit. Cogitatio haec inde tantummodo nasci potuit, quod hic chorus avium saltabat, et poeta, quod hoc loco fiebat, in universum praedicabat.

Verum graviora argumenta proferenda sunt. In duabus Aristophanis fabulis vestitus chori ante ipsam parabasin mutatur, Acharn. v. 626 tribonio exuto, Pac. v. 729 funibus, fustibus, aliis instrumentis, quibus chorus antea usus erat, depositis. Quod in Pace fabula ita fortasse quis explicet, deponere chorum eas res, ut quae in reliqua fabula nullo omnino usu sint. Sed cur ante ipsam demum parabasin deponit, quum jam inde a v. 520 iis opus non sit? Cur princeps chori mutationem illam, quae aptissime silentio facta esset, palam pronunciat? Acharnensium locus, qui pari modo explicari nequit, et ea, quae scholiastae ad utrumque locum afferunt, aliam ob causam mutationem eam fieri demonstrant: deponere chorum ante parabasin et vestimenta et alias res, ne in saltando impediatur. Nam tribonio indutus aut funibus onustus apte saltare non poterat.

Sed haec mutatio ob eam solum, quam adumbravimus, chori versationem fieri non debebat, imprimis, quod in iis fabulis, ubi apparatus ante parabasin mutatur, sine saltatione simpliciter chorum versum esse apparet; nam canticum deest, quod cum orchestica versatione conjunctum esse solet. Itaque quum reliquae parabasis partes (anapaesti, pnigos, epirrhema, antepirrhema), saltationem non admittant, opus est, ut inter strophae et antistrophae cantum chorus saltaverit.

Restat, ut singulas parabases perscrutemur et chori cantus saltationem aut poscere, aut certe admittere ostendamus.

In Acharnensibus (v. 626) chorus tribonia deponit eaque res, ut diximus, saltationem quasi praemonstrat. Dein in stropha musa advocatur (v. 665), non levis, ut supra vidimus, saltationis significatio. Ex metris denique ipsis strophae et antistrophae, qui numerorum sensu non caret, saltationem percipit eamque, ut senum chorum decebat, ambulatoriam magis, quam orchesticam.

Equitum chorus in stropha (v. 551) Neptunum advocat ἐς χορόν, in antistropha (v. 581) Minervam, quae res saltationem poscit. Praeterea verborum, quibus utitur, granditas et metrorum volubilitas immoto choro non convenit. Ad secundae parabasis versum 1263 scholiasta affert, iisdem verbis Pindari προσόδιον incepisse. Προσόδια autem numquam ab immotis choris cantabantur, et Aristophanes Pindari locum certe imitatus non esset, nisi simili chori conditione.

In Nubium parabasi (v. 563) et deorum invocatio et sententiarum majestas parem, atque in Equitibus saltationem desiderat. Praeterea haud scio, an iis verbis, quibus antistropha orditur (v. 595): ἀμφί μοι ἀντε, Φοῖβ' ἄναξ cet., magis etiam saltationis documentum insit. Circum se enim chorus Apollinem advocare non poterat, nisi saltans, quod ita tantum, modo huc, modo illuc conversus, deum modo ab hac, modo ab illa parte, itaque recte circum se habebat.

In Vesparum parabasi (v. 1060) simili modo saltatum esse censeo, atque in Acharnensibus. Primo statim versu ad saltationem alluditur, nam vox χοροὶ vix de solo cantu intelligi potest, et spectatorum quasi venia expetitur gravi atque impeditae senum saltationi. In extremi quoque versus voce σχῆμα allusionis quid inesse videtur, quum persaepe saltationis figuram significet. (Pac. v. 323 et 24.)

In Pace fabula (v. 775) de saltatione dubitari non potest, ubi non solum ante parabasin chori apparatus mutatur, sed etiam in stropha musa advocatur, ut saltet cum choro. Neque in secunda parabasi (v. 1127) res in incerto relinquitur, tota enim rerum conditio saltationem postulare videtur.

De Avium priori parabasi supra jam dictum est; in secunda nihil reperio, quo aut saltavisse chorum demonstrari, aut non saltavisse possit; itaque hic e ceterorum interludiorum ratione res judicanda est.

In Ranis denique (v. 674) musa appellatur, et quamquam additur ἐπὶ τέρψιν ἀοιδᾶς ἐμᾶς, tamen ne hic quidem saltationem defuisse censeo.

Non temere igitur, sed satis gravibus de causis stropham et antistropham in parabasi semper saltatam esse contendo. Atque in tanta comoediae levitate et effrenatione quisnam mehercle immotum chorum ferret, qui fabulae ipsi contrariam prorsus speciem praeberet? Nam viginti quatuor hominibus eodem semper loco constitutis gravitas, ne dicam molestia ac taedium quoddam, inest, nec comoediae ingenio, nec hilaribus altiusve assurgentibus chori cantibus accommodata. Porro, qui numeros Graecos acutiore sensu percipit, concedet, facile potuisse eam metrorum agilitatem atque volubilitatem non animos modo excitare, sed corporis quoque nervos percire. Nostrum sane nemo saltet, carmen pronuncians, at nos non illam rhythmorum varietatem et mobilitatem excoluimus, quae prorsus diversa fuisse a nostris Graecorum ingenia docent. (cf. Rossbach, Rhythmik. p. 18.)

Sed fuerit sane saltatum in parabasi, quoniam modo saltatum est?

Notum est tria potissimum saltationis genera in dramate esse adhibita atque eo quidem discrimine interposito, ut ἐμμέλεια propria esset tragoediae, κόρδαξ (κόρδακες Pollux IV, 99) comoediae, σίκιννης dramati satyrico. Quamquam ea non tam jure videntur fuisse praecipuo, ut alia saltandi ratio omnino non admitteretur\*). Qui a Polluce (IV, 99—105) afferuntur modi saltationis (quorum nonnulli certe ad drama pertinent), vereor, ut omnes tribus illis generibus subesse potuerint. Ne multa, in comoedia, aut certe in parabasi, perraro cordacis speciem prae se tulisse saltationem persuasum habeo.

Omnes fere, qui cordacis mentionem faciunt, veteres auctores uno ore pronunciant, lascivam atque obscoenam saltationem fuisse. Athenaeus XIV, 631, d. ὁ μὲν κόρδαξ παρ' Ἑλλήσι φορτικός. schol. Nub. 540. ἔστι δὲ ὀρχήσεως κωμικῆς εἶδος ἀσχημονος. ibidem κόρδαξ εἰλκυσεν — ἀσέμνος ὀρχήσατο. ibid. κόρδαξ (ὀρχησις) κωμική, ἣτις αἰσχρῶς κινεῖ τὴν ὀσφύν (quod non generatim, sed de aliqua cordacis specie dictum puto). schol. Aristot. Rhetor. III, 8. ἔστι δὲ κορδακίζειν εἶδος ἀνευμένον ὀρχήσεως. Ulpian. in Demosth. Olynth. II. κορδακισμός. ἔστιν εἶδος ὀρχήσεως αἰσχρᾶς καὶ ἀπρεποῦς. Hesychius s. v. Pausanias vero quod Dianam Cordacam (VI, 22) commemorat, eam quidem ob causam decorum atque pudicum cordacis genus statuendum esse vix crediderim, id quod aliis placuit.

Quod si concedas, tantum abest, ut in comoedia semper cordax saltatus sit, ut Aristophanem perraro eo saltationis genere usum esse censeam. Saltaverit Dicaeopolis cordacem (Acharn. v. 251),

\*) Aristoxenus quidem contra hanc sententiam facere videtur. Bekk. anecdot. p. 101. ἦν δὲ τὸ μὲν εἶδος τῆς τραγικῆς ὀρχήσεως ἢ καλουμένη ἐμμέλεια — τῆς δὲ κωμικῆς ὁ καλούμενος κόρδαξ. Ego vero articulum, qui ante εἶδος legitur, delendum censeo, sic enim aliis locis reperimus. Bekk. anecdot. p. 267. κορδακισμός· εἶδος ὀρχήσεως κωμικῆς. schol. Nub. 540. ἔστι δὲ ὀρχήσεως κωμικῆς εἶδος cet. Hesychius s. v. κόρδαξ. εἶδος ὀρχήσεως ἀσέμνος κωμώσης (ἀσέμνον κωμικῆς).

saltaverit Philocleo (Vesp. v. 1326), saltaverit in Maricante Eupolidea Hyperboli mater ebria, in parabasi fere numquam adhibitus esse videtur. Quod quum jam eam ob rem mirum non sit, quod parabasis sui juris est, tum ex iis, quae aetatem tulerunt, fabulis demonstrari potest.

Atque in Acharnensium quidem antistropha (v. 694) chorum senum laudem suam bellicam et virtutem pugna Marathonica spectatam praedicantem atque praesentem calamitatem conquerentem equis sibi persuadeat obscuro modo saltasse? Immo, gravem atque tardam talemque, qualis senes olim fortissimos, tum vero aetate confectos decebat, saltationem fuisse verba ipsa produunt. Nec aliter in stropham res potest se habuisse, atque in antistropha.

In Equitum atque Nubium fabulis (Eq. v. 551. v. 581. Nub. v. 562. 593.) deorum laudes celebrantur et tanta quidem verborum magnificentia, ut a comoediae indole paullo alieniores esse videantur chori cantus. His igitur locis si inferre se audeat, vel verberibus abacturus esse mihi videor cordacem, quasi spurcum quandam daemonem, et ne opus quidem est Aristophanis ipsius testimonio, in Nubibus quidem fabula sprevisse se cordacem aperte pronunciantis (v. 540). In secunda Equitum parabasi (v. 1263), ut supra jam memoratum est, prosodium Pindaricum chorus imitatur, quod etsi in risum verti potuisse non nego, nescio tamen, num recidere potuerit in cordacem.

Vesparum jam chorus eandem fere personam fert, atque Acharnensium, stropham imprimis et antistropha parabatia eodem prorsus sunt argumento. (v. 1060. 1091.) Itaque hic cordaci locus non est.

In Pace fabula (v. 775) Aristophanes Stesichori vestigia sequitur (schol. Pac. 797) et „graves Stesichori Camoenas“ (Horat. Od. IV, 9, 8) non minus, quam prosodium Pindaricum equidem puto aspernari cordacem.

Porro Avium choro (v. 737. 775) si quis, aliunde detrusus, imputet cordacem, non in video commento. Nec tamen concedendum puto, nam *σεμνὰ χορεύματα* (v. 746) et Olympus ipse cantus venustate obstupefactus (v. 780) aliam prorsus saltationem redolent. Neque ego in *εὐδαίμων φύλον πτήνων οἰωνῶν, οἱ χειμῶνος μὲν χλαίνας οὐκ ἀμπισχνοῦνται* adeo peccem, ut in secunda parabasi (v. 1058. 1088) ab insito animi candore atque simplicitate in obscenitatem et lasciviam degenerasse credam. Nec quemquam, cui sapor insit integer, vel obiter lectis illis carminibus repugnaturum confido.

Thesmophoriazuserum parabasis caret chori cantibus. In Ranarum denique fabula (v. 675, 706), ne nimis videar obstinato animo aut plane *μισοκόρδαξ*, aliquid jam cordacis inesse potuisse nihil moror.

Jam vero fortiter ac strenue, ut par erat, propulsato cordace in summas angustias res adducitur (*οἴμ' ὡς δέδοικα*), si exponere nos quis jubet, quam ratione re vera saltatae sint parabasis stropham atque antistropha. Nam id quidem, non in pedibus tantum saltationem dramaticam constituisse, sed vultui, manibus, toti denique corpori magnam partem fuisse demandatam, nemo profecto monendus est. Neque vero in gyrum semper chorum ductum esse, quae apud nos pervulgaris et perinepta est saltandi ratio, quisquam existimaverit, quum permulta atque varia saltationis *σχήματα* fuisse ubivis commemoretur. Itaque sic statuo: Beatus ille, terque beatus, qui hac de re accuratius quid proferre se posse confidet; equidem nihil perspexi atque in integro rem dimitto.

Stropham finitam in parabasi non antistropha sequitur, sed epirrhema, quod pariter, atque antepirrhema, motu carebat et in anapaestorum statione recitatum esse videtur. Koesterus quidem (p. 6 et 12) scholio Nubium v. 575 et 595 demonstrare studet, motum esse post stropham et antistropham chorum, sed vereor, ne nullo jure. Semper per stropham et antistropham ita saltavisse chorum contenderim, ut ipsius saltationis fine in eam stationem reverteretur, quam initio cantus reliquerat. Ita in parabasi quoque cantu finito haud dubie *κατὰ ζυγὰ* collocatus erat, ut in anapaestis, et quum in partibus epirrhematicis simili modo, atque in anapaestis, cum spectatoribus ageret, statio

κατὰ ζυγὰ ἀπλὰ et quodammodo necessaria, nec causa ulla erat, cur post stropham et antistropham alium quem locum peteret.

Restat, ut locos a Koestero allatos nihil pro motu illo facere demonstremus. In scholio Nub. 575 vox ἐπίρρημα inde derivatur, quod chorus stropha finita iterum ad spectatores ἐπιρρέπει. Quae etymologia et plane inanis est, et si vera esset, mirum profecto chori motum significaret. ἐπιρρέπειν de trutina dicitur, quae modo huc, modo illuc inclinatur, at tali ratione quomodo chori saltatio describi potuerit, equidem non video. Scholiastae, qui in vocibus tanto errore ducitur, magna rerum fides habenda non est. Aut nihil omnino dicit, aut strophae ipsius et antistrophae finem spectat, quo chorus relictam stationem repetit et, ut verbis illis utar, ἐπιρρέπει πρὸς τοὺς θεαίᾳς.

Altero loco, schol. Nub. 595, haec leguntur: ἔφαμεν γὰρ ἐν τοῖς χορικοῖς γίνεσθαι τὰς στροφὰς καὶ τὰς ἀντιστροφὰς καὶ τὰς ἐπιρροὺς, ἃ τινες καλοῦσιν ἐπίρρηματα. κἀνταῦθα οὖν τὴν ἀντιστροφὸν ἐπήγαγεν ὁ ποιητὴς, ὥσπερ ἀναστρέφων ἐπὶ τὸ ἐξ ἀρχῆς μέλος, ὁθενπερ ἐξετραπή εἰς τὸ ἐπίρρημα ἀρξάμενος γὰρ ὑμνεῖν τοὺς θεοὺς καὶ παραγενόμενος μέχρι τοῦ Ἥλιου ἐπήγαγε τὴν ἐκτροπήν, τοντέσθι τὸ ἐπίρρημα. — οὔτε γὰρ ἡ διάνοια τοῖς προειρημένοις ἀκόλουθος, οὔτε τὸ μείζον τοῦ λόγου πάλιν οὖν ἐπανατρέχων ἐπὶ τὸν ἕμνον τῆ τῶν θεῶν χρῆται ἐπαναστροφῇ. Huic autem scholiastae minor etiam auctoritas tribuenda esset, si re vera motum esse chorum inter stropham et epirrhema contenderet; totam enim parabasis rationem plane ignorat. Nulla omnino parabasis stropha, antistropha, epodo constat, quam epirrhema quoque nominatam esse fingit, neque usquam epodus inter stropham et antistropham ponitur, ne epirrhema plane ab eo omitti dicam. Verum hoc loco de chori motu ne verbo quidem agitur, omnes enim voces, quae motum continere videntur, translato sensu accipiendae sunt, quod maxime apparet ex verbis ἀναστρέφων ἐπὶ τὸ ἐξ ἀρχῆς μέλος, παραγενόμενος μέχρι τοῦ Ἥλιου, iisque, quae in fine leguntur, πάλιν ἐπανατρέχων ἐπὶ τὸ ἐξ ἀρχῆς μέλος. Certo autem verba: ὁθενπερ ἐξετραπή εἰς τὸ ἐπίρρημα pro Koesterei sententia nihil faciunt, ea enim enunciationi antecedenti et particulae ὥσπερ subjunguntur, quae statim initio praenunciat, omnia haec translato sensu dici.

Itaque donec gravioribus argumentis convincar, pro certo affirmare non dubito, chorum post stropham et antistropham motum non esse.

Ter igitur chorus in parabasi saltat, initio, per stropham et antistropham. Finita parabasi, ubi histriones denuo in scenam prodeunt, chorus statim ad eos se convertit et consuetam stationem κατὰ στοίχους repetit. Hic motus propriae parabasi respondet parique versatione efficitur, nisi quod cantu et saltatione vacat.

Pauca addenda sunt de minore parabasi, quae resectis anapaestis iisque, quae cum anapaestis arcte cohaerent, particulis statim a stropha orditur. Epirrhemati et antepirrhemati haud dubie, ut in majore interludio, parabatica statione κατὰ ζυγὰ opus erat, itaque hic quoque versatio fieri debebat. Sed ubi tandem? Ante stropham in initio interludii. Nam si recte contendimus, inter stropham et epirrhema chorus non moveri, stropham autem, unde ordiatur, ibi quoque finiri, in epirrhemate chorus κατὰ ζυγὰ collocatus esse non potest, nisi fuerit ante stropham. Itaque statuo histrionibus exeuntibus chorum pari, atque in magna parabasi, versatione ad spectatores accessisse et ita quasi praenunciassse interludium. At tacitus et sine saltatione chorus in minore parabasi vertebatur, et hoc quoque novatum esse videtur, ut ea chori pars, quae in magna parabasi se averterat, prope accederet ad spectatores, altera vero, quae antea accesserat, se averteret. Non sine causa id factum esse postea apparebit, ubi de epirrhemate dicetur. Jam, ubi κατὰ ζυγὰ collocatus erat chorus in minore parabasi, strophae saltatio fiebat, eamque, ut in magno interludio, epirrhema, reliquae denique partes excipiebant, donec histrionibus in scenam redeuntibus parabasis finiretur.

His de universa chori ratione motuque disputatis ad singulas jam parabasis partes transeamus, non quod omnia allata esse videantur, quae ad externam parabasis speciem pertinent, sed ea, quae restant, aut parabasi propria non sunt, aut in singulis interludii partibus tractabuntur. Incipiendum jam est a tribus partibus, quae in magna tantum parabasi inveniuntur, quarum primum locum tenet

*κομμάτιον.*

Pollux IV, 112. schol. Equit. 498. schol. Nub. 510. schol. Vesp. 1009. schol. Av. 676.

Commattium canticum erat universi chori, quo histriones exeuntes prosequeretur egressisque stationem parabolicam petebat. Itaque propriam parabasis motionem continebat, etsi interludii tantum in prooemio positum erat. Atque prior pars commatii ne pertinet quidem ad interludium, in ea enim chorus cum histrionibus agit et in scenam conversus est. Vacua demum scena spectatores alloquitur et ad interludium se accingit. Plerumque ex ipsis commatii verbis perspicitur, ubi chorus a scena se averterit et ad spectatores transierit. (cf. Koester p. 7.) In Avibus v. 681 verbis ἀλλ' ὃ καλλιβόαν χρέκονσα versatio incipit, in Equitibus v. 503 ὑμεῖς δ' ἡμῖν προσέχετε τὸν τοῦν, in Vespis v. 1010 ὃ μνησίδες δ' ἀναρίθμητοι, in Nubibus denique v. 512, ubi chorus, qui antea histrionem exeuntem alloquens secunda persona usus erat, subito tertia utitur.

Commattium in eo versatur, ut interludium nunciet et fabulam cum interludio connectat; poetico autem argumento et colore caret. Quamobrem facile nonnumquam omitti, paucisque chori rectoris verbis initium parabasis significari poterat. Quod in Acharnensibus et Pace fabulis factum est, ubi chorus vestitum mutabat consuetoque statim more canere et saltare nequibat. Quae principis verba propter argumenti similitudinem a scholiastis minus accurate κομμάτιον appellata haud scio an G. Hermannum in eam opinionem adduxerint, ut (epit. doctr. metr. §. 653.) commattium a coryphaeo pronunciatum esse censeret. Quod de vero commatio haud recte dicitur; primum enim schol. Eq. 495 commattium aperte τοῦ χοροῦ appellatur, deinde non video, quomodo principe solo cantante chorus apte saltare potuerit. Praeterea ex Avium v. 675—683 manifestum fit, a toto choro commattium cantatum esse, nam princeps solus lusciniam ἕμνων σύντροσε τῶν ἐμῶν appellare non potuit. Semel tantum in iis, quae exstant, fabulis haec pars non a choro, sed ab histrione praeter morem in scena remanente cantatum est, quod Koesterus primus vidit. In Thesmophoriazasis v. 785 anapaesti incipiunt: ἡμεῖς τοῖνον ἡμᾶς ἀντὰς εὖ λέξωμεν παραβᾶσαι. Ex voce παραβᾶσαι intelligitur versationem jam esse factam, nisi quis forte, postquam transierimus, eam explicet, et inter hunc et eum, qui sequitur, versum longum temporis intervallum statuatur, quod mihi quidem parum probatur. Praecedit autem anapaestos canticum Mnesilochi, quod consuetis commatii metris compositum ad chori motum alludit et sine dubio commatii loco positum est. Verba: βάσκει ἐπέγειε πάσας κατ' ὁδοῦς plane frigerent, si de tabellis tantum, quibus Euripides arcessitur, dicerentur, optime autem ad chori versationem alludunt, et pari modo: τὸντὶ τὸ ἐὼ μοχθηρὸν χωρεῖ, χωρεῖ ποίαν ἀλλακά venustissima ambiguitate de malo aliquo saltatore accipiuntur.

De metris, quibus commattium et reliquae parabasis partes componi solent, Koesterus p. 7 seq. accurate disseruit. Vox commattium jam in fragmento Eupolideo reperitur et haud dubie a κόπτιω (non a κόπτεσθαι, plangi, quod Koestero placet) petenda est idemque significat atque κόλλον, parvam et circumcisam partem, sensuque translato exiguum chori cantum. cf. περικομμάτιον Eq. v. 372.

Sequitur jam secunda magnae parabasis pars

*ἀνάπαιστοι.*

schol. Eq. v. 507. schol. Nub. v. 518. schol. Pac. v. 735. schol. Av. v. 685. Pollux IV, 112. Hesychius s. v.

Hac voce Aristophanes ipse quater utitur, Acharn. v. 627, Eq. v. 504, Av. v. 684, Pac. v. 735; a scholiastis modo ἀνάπαιστοι, modo παράβασις sensu arctiori haec pars appellatur. Alterum nomen inde traxit, quod tetrametris plerumque anapaestis catalecticis constabat, alterum, quod prima simul et summa pars parabasis erat. Koesterus autem invertere rem conatur (p. 3.), totum interludium a poetis ἀναπαιστοι nominatum esse contendens, quod ex iis maxime locis apparere, ubi in Aristophanis fabulis haec vox reperiatur. Quorum ego tres nihil pro Koesteri sententia facere censeo, unum contra. (Pac. v. 735.) Ter enim quod in commatio chorus dicit, velle se ad anapaestos transire, inde colligi non potest, totum interludium hac voce significari, neque enim ad aliud quid transitur, nisi ad eam ipsam partem, quae proprie ἀνάπαιστοι nominatur. Quarto autem loco Aristophanes ξαβδόχουχος intercedere jubet, si quis poeta comicus ipsum se laudet παραβὰς ἐν τοῖς ἀναπαιστοῖς. Hic totum interludium intelligi omnino non potest, quod nusquam, nisi in ea parte, quae proprie ἀνάπαιστοι vocatur, poetae de se verba facere et laudare se licebat. Singulae enim parabasis partes ut forma dissimiles erant, ita diversas quoque partes agebant, et anapaestis antiquitus obvenit, ut oratio essent poetae, qua de se, de fabulis, de aliis, quae cordi sibi essent, dissereret. Postero quoque tempore, quum poetae non ipsi jam in scenam prodibant, sed alium quem choro praeficiebant, coryphaeus plerumque in anapaestis poetae personam agere solebat et in octo fabulis, quae habent parabases, quinque (in Acharnensibus, Equitibus, Nubibus, Vespis, Pace) factum hoc videmus. In quo quidem opus non erat, ut statim ab initio poeta ipsa prima persona verba faceret, sed saepius principem de se tamquam alio quodam dicentem faciebat, donec oratione, quam componebat, excitatus ipse in choragi os quasi irreperet et aperte de se loqueretur. Ita in Pace fabula v. 754 repente personae mutantur, parique modo in Acharnensibus v. 660. Alias poeta nusquam ipse surgit, sed coryphaeus rem usque ad finem perducit, verum ex ipsius orationis argumento facile perspicitur, chori principem (in Vespis senem δικοῦ-ξαρφόντια, in Equitibus juvenem lascivientem) ex ingenio suo ita dicere non posse, sed a poeta institutum verba facere. In sola Nubium parabasi statim ab initio poeta disserit.

Si igitur de se ipso poeta dicere vellet, anapaestis erat utendum, alias non licebat\*). Verum aliae quoque res in anapaestis tractantur, quae ad poetam non pertinent; nonnumquam enim coryphaeus ut verus chori magister de universa chori ratione disserit. Quod quidem semper ita fit, ut non saltatorem aliquem de loco communi, sed ipsum magistrum de superiore loco, unde circumspicit omnia atque regit, verba facere manifestum sit. Sic in Avibus princeps chori totius avium generis patrocinium suscipit, in Thesmophoriazasis de universa mulierum conditione exponit, in Ranis tamquam mystarum sacerdos pro universo choro preces fundit\*\*).

Semper igitur anapaestorum argumentum his finibus continetur, ut aut oratio sit ipsius poetae, a coryphaeo recitata, aut oratio principis de poeta aut de universo choro. Eaque res maxime interest inter anapaestos et partes epirrhematicas, quod ibi semper coryphaeus loquitur et de loco quidem superiori, hic saltator aliquis de loco communi. Nam is, quo Kolsterus (p. 45 seq.) limite duplici anapaestos ab epirrhemate sejungere studuit, parum valet. Neque enim anapaestorum minor impetus est, (quis profecto credendum putabit, poetas Graecos, subtiles numerorum iudices, sententias, quibus minor impetus inesset, metro condidisse anapaestico, aut quomodo fieri potuit, ut poeta de se ipso et de aemulis minore impetu diceret, quam alienis de rebus?), neque ab anapaestis singulorum hominum

\*) Semel tantum in Vesperum secunda parabasi (v. 1284) in antepirrhemate poeta ipse surgit. Sed in hoc interludio alia quoque praeter morem fiunt.

\*\*) Neque enim dubito, quin ea, quae v. 352 seq. leguntur, prioris parabasis anapaesti sint habendi.



vellicatio abhorret, quod, ut alia mittam, Nub. v. 553—560, Av. v. 692, Pac. v. 755—760, Vesp. v. 1031—1036, Ranarum denique v. 355—368 demonstratur. Praeterea ne id quidem accurate a Kolstero contenditur, chorum naturam suam in anapaestis servasse, quod ibi tantum factum est, ubi coryphaeus ut verus chori magister de ipso choro loquitur. Nam neque in Nubium anapaestis princeps verba facit tamquam nubes, neque in Acharnensibus ut senex carbonarius, neque in Pace ut rusticus.

Quaeritur autem, utrum cantati sint anapaesti, an simpliciter recitati. Mihi placet non esse cantatos\*). Quomodo enim ad orationem seu poetae, seu coryphaei (orationis speciem anapaesti semper prae se ferunt) cantus apte accedere potuit? Cantus semper imaginis quid poeticae, aut eam certe animi conditionem requirit, qua affectuum commotio et quasi fluctuatio quaedam vocis humanae tenorem perturbet et inconsueta ratione moduletur. Jam anapaesti ardore quidem non carent, sed numquam sermonis finibus egrediuntur, immo, saepe ad prosam orationem prope accedunt. Deinde, ne id afferam, neminem reperiri potuisse iis pulmonum nervis, ut quadraginta tetrametros anapaestos deinceps decantaret, imprimis quum nulla remissione data *πνίγος* quoque *ἀπνευστι* pronunciandum esset, is versuum numerus apte legibus musicis componi nequibat. Propter metri argumentique aequalitatem aequalibus quoque modis opus fuisset, et eandem usque cantilenam per quadraginta tetrametrorum seriem decantatam quis ferre potuisset? Porro simplici tantum recitatione vox humana ita, ut debet, flecti et unaquaeque vox ea, qua opus est, gravitate pronunciari potest; cantus suis legibus utitur orationisque rationem plane tollit. Quamobrem ne id quidem saepe factum existimo, quod scholiasta ad Av. v. 682 affert, ut coryphaeo anapaestos pronuncianti tibicen concineret. Nam in Avibus quidem certa de causa tibiae adhibitae sunt. Ante parabasin ibi lusciniā advocatur, ut choro adsit, et in ipso commatio chorus haec cantat: *ἀλλ' ὦ καλλιβόαν κρέκονσ' αὐλὸν φθέρμασιν ἡρινοῖς ἄρχον τῶν ἀναπαίστων*. Itaque hic quidem haud dubie tibicen lusciniā speciem prae se ferens anapaestis adspirat. Cantati profecto ne hic quidem sunt anapaesti, sed ut ad cantus similitudinem aliquam accederent, tibiā cantu adjuti. Monendum vix est, Graecis avium cantum obscuram quandam linguam visam esse, quod ex Procnes mytho eaque, quae persaepe apud Aristophanem reperitur, barbarorum cum hirundinibus comparatione apparet, ideoque aptissime avium cantum hic effingi verbis quasi sonorum velamento quodam absconditis atque obscuratis. Itaque hic quidem tibiae aptae erant, alias in iis, quae servatae sunt, fabulis adhiberi non poterant.

Unum addendum est de externa specie anapaestorum, choragum, quoties de poeta ipso dissereret, personam (*προσωπεῖον*), quam in fabula ipsa ferebat, ante anapaestos deposuisse. Quod ex Aristide II, 523 colligo.

Primo tempore, ut supra dictum est, poeta ipse chorum regebat anapaestosque recitabat. Jam si ab inimicorum calumniis se defenderet, vel de civitatis statu dissereret, res ipsa ferebat, ut rerum, quas proferebat, gravitate sensim exasperaretur magnoque animi ardore excandesceret. Imprimis autem si cum validis potioribusve aemulis pugnaret, hominibusque, quorum magna apud cives esset auctoritas, animi concitatione facile quasi totus homo corripere poterat ita, ut sui impotens quasi praeceps ferretur, ut ingenti fervore nova semper verba jactaret et alias aliis sententiis quasi obrueret nec prius acquiesceret, quam viribus exhaustis extinctoque spiritu. Quapropter factum est, ut anapaestis conclusio adderetur, qua ea animi excitatio exprimitur, quaeque a scholiastis ut nova pars numeratur,

*πνίγος*, seu τὸ μακρόν.

Pollux IV, 112. Hephaest. p. 132. schol. Acharn. 656. schol. Vesp. 1051. schol. Av. 723.

\*) Aliter censet Hesychius s. v. *ἀνάπαιστα κρυῖως τὰ ἐν ταῖς παραβάσει τῶν χορῶν ἄσματα*.

Re vera autem pnigos nihil aliud est, nisi anapaestorum finis, quibuscum et argumento et numeris arctissime cohaeret. Hic igitur animi fervor, qui concitato anapaestorum incessu sensim increverat, ad summum pervenit, ita, ut neque sententiae, neque metrum eum, quem antea habuerant, tenorem servarent, sed corripentur gravique anhelitu pronunciarentur. Nam et dimetri anapaesti subito tetrametros excipiunt (quippe tetrametri orationi placidiori sententiisque explicatis, dimetri correptis conveniunt), et ἀπνευστί hanc partem pronunciatam esse constat. Cantatam enim non esse, vix monerem, nisi Pollux appellaret pnigos μελύδριον ἀπνευστί ἠδόμενον. Quod mihi quidem nullo modo probatur, immo Hephaestionem auctorem sequor, ἀπνευστί λέγεσθαι testantem. Anapaesti enim quum recitarentur, quomodo conclusio, quae arctissime cum iis conjuncta est, potuit cantari?

Jam vero in eo Pollux et Hephaestio consentiunt, quod ἀπνευστί hanc partem pronunciatam esse tradunt, neque quidquam causae est, cur fidem eorum attenuemus, quum et vox πνίγος suffocationis quid contineat, et μακρόν inde tantum parva haec particula appellari potuerit, quod pronunciandi ratione longiuscula esse videbatur. Quamquam uno spiritu, vel nullo spiritu vox ἀπνευστί explicari non potest, nemo enim profecto lateribus tam bene instructus erat, ut uno spiritu decem vel sedecim versus dimetros anapaestos ea vocis contentione pronunciaret, quae in omnibus caveae partibus et audiri et percipi posset. Huc accedit, quod homines vehementer concitati non uno spiritu dicere solent, sed angustiori quadam voce gravique anhelitu. Nihil igitur Pollucem et Hephaestionem dicere arbitror, nisi, non consueta spirandi ratione usum esse coryphaeum, sed correpto gravique anhelitu, ut excitatum decebat, pnigos recitasse. (cf. Demosth. de coron. 309.) Quod quidem recte ἀπνευστί appellari potuit, nam anhelandi notio a voce πνεῖν aliena est. Non veror, ne quis πῶρ πνεῖν et μέγιστα πνεύοντις Ἀχαιοὺς afferat, sententiae nostrae contradicturus. Utroque enim loco consueta spirandi ratio intelligenda est, et mire profecto quis Achivos pugnandi cupidine exanimes aut paene suffocatos sibi fingeret. Certe autem πνεῖν in eum hominem non quadrabat, qui in ipso fine orationis, quam contra inimicos habebat, labore, ira, incerto eventu exasperatus, depugnandi cupidine omnes, quae supererant, vires colligebat in ultimum gravissimumque impetum, itaque graviter anhelans verba, sententias acervatim ore protrudebat atque excutiebat.

Non ego in Aristophanis, quae exstant, fabulis eam animi contentionem in hac parte deprehendi contendo, quae talem pronunciandi modum postulaverit, sed eo tempore, quo pnigos ortum est, oriendi causam fuisse. Nam apud Aristophanem quidem res prorsus aliter se habet in eamque nos opinionem adducit, ut exceptis Acharnensibus atque Equilibus ironico sensu hanc partem compositam esse suspicemur. Quod in duabus quidem fabulis haud scio an demonstrari possit. In Avibus placidissimo argumento anapaesti sunt hilaremque ironiam continent, iisque perlongum pnigos additur. Quod si ea, quam adumbravimus, ratione pronunciaretur, re ipsa ironia patebat, et consilio eam argumenti formaeque discrepantiam adhibitam esse e versu 725 seq. colligi potest. Ἦν οὖν ἡμῶς νομίσητε θεοῦς, ἔξετε χεῖρσθαι μάντισι, μούσαις, αἰθέρας, ὄρας, χειμῶνι, θέρει, μετρίῳ πνίγει. Voci πνίγει, in ea ipsa parabasis parte usurpatae, cui pnigos nomen erat, ambigui quid inesse censeo. Quam ambiguitatem facile omnes spectatores percipiebant, si coryphaeus praeter morem in dicendo remitteret placideque spiritum duceret. Ita enim unicuique is sensus patebat: Si nos in deorum numero habebitis, quum aliis commodis fruimini, tum opus non erit, ut in hac parte recitanda defatigemini, sed commode, ut ego, loquimini. Aperte igitur poeta hic legem ἀπνευστί dicendi irridet, similique modo, quamquam joco non assumpto, Thesm. v. 823. Pnigos in hac fabula longissimum est omnium, quae exstant, et argumento ita placido, ut omnino ἀπνευστί dici non potuerit, nisi sensu ironico. Porro v. 823 praeter expectationem monometer anapaestus inter dimetros collocatus est et simul hoc versu

altera sententia finitur et insequenti altera orditur. Itaque et metri et sententiarum tenor hic interrumpitur, nec fieri potuit, ut coryphaeus sine remissione ad alteram sententiam transiret. At si remitteret paullulum, hic quoque ironia apparebat, quum et servaretur lex, ubi apta non esset, et negligeretur, ubi non liceret.

In prima Aristophanis fabula pnigos serio accipiendum est et in Equilibus exiguitas quasi docere videtur poetam jam dubitasse, utrum apta atque accommodata esset haec pars, an omittenda. Dein latiore usque amplitudine placidioreque argumento componitur, ironia primum interlucente, postea aperte emicante.

Ceterum pnigos semper dimetris anapaestis constat iisque tantum anapaestis addi poterat, qui anapaestico metro compositi erant. Quamobrem Nubium anapaesti, in quibus Eupolideo metro Aristophanes utitur, hac parte carent. Praeterea Ranarum magnae parabasi pnigos deest, etsi rite anapaestico metro constant. Verum haec parabasis quum multis de causis singulari conditione est, tum secunda pars solemnem precandi formulam imitatur, quae pnigos non admittit.

Tribus his partibus, quae majori parabasi propriae sunt, absolutis transeundum est ad eas, quae in utroque interludio reperiuntur et ea quoque re ab iis, de quibus egimus, diversae sunt, quod non simpliciter (*ἀπλῶς*) ponuntur, sed *κατὰ σχέσιν* (schol. Nub. 518), h. e. ita, ut binae in eandem speciem conformentur. Quatuor, ut supra dictum est, partes hanc respondendi legem sequuntur, *στροφῆ*, *ἐπίρρημα*, *ἀντιστροφῆ*, *ἀντεπίρρημα*, quae a scholiastis communi nomine *ἐπιρρηματικῆ συζυγία* appellantur.

*στροφῆ et ἀντιστροφῆ.*

schol. Acharn. v. 665. schol. Equit. v. 551 et v. 1263. schol. Nub. v. 518 et v. 563. schol. Vesp. v. 1091. schol. Pac. v. 775, 797 et 1127. schol. Av. v. 737 et 769. schol. Av. v. 1058 et 1088. schol. Ran. v. 675.

Stropha et antistropha melica pars syzygiae sunt, ob eamque causam *ῥῶδῆ* quoque et *ἀντιῥῶδῆ* nominantur. Nam eandem rem stropha atque oda, antistropha atque antoda significant, modo a saltatione, quae in antiquissimis strophis versatoria fuisse videtur, modo a cantu appellatam. Atque is quidem locus, quo quis contra hanc sententiam disputet (schol. Nub. 518), nihil omnino valet. Quae ibi leguntur: *τινὲς δὲ καὶ προστιθέασιν ῥῶδῆν καὶ ἀντιῥῶδῆν, ἔχουσι γὰρ καὶ τὰντα σχέσιν πρὸς ἄλληλα*, iis, quae antecedunt, plane repugnant et aut aliunde irrepserunt, aut errori scholiastae tribuenda sunt. Paullo ante enim septem partibus parabasin constare demonstratur, hic autem duae adduntur, ita ut novem efficiantur. Praeterea in nulla parabasi oda et antoda reperiuntur, neque eo secius eae parabases, quae septem partes continent, integrae (*τέλειαι*) nominantur.

Eadem igitur res duobus nominibus significatur, neque ego longus fuissem in eo, quod dubium non est, demonstrando, ni Koesterus aliunde discriminis quid quaesivisset (p. 11), odam et stropham diversae ejusdem rei, quae stropha vocata sit, partes esse contendens, et odam quidem priorem strophae partem appellari, quod plerumque deorum hymnus sit, stropham secundam. Quae opinio quamquam dubito an parum digna sit, quae serio refutetur, tamen, *καθαπιόμενος γίλον ἦτορ ἐν στήθεσσιν ἐμοῖσι*, quam maxime possum, patienter et aequo animo redarguam. Itaque ne *περὶ κομ.* IX, a, 225. laudem, ubi odam et stropham idem valere manifestum fit, aut schol. Av. 1058, ubi chori cantus, quo nulli dei invocantur, *ῥῶδῆ καὶ στροφῆ* appellatur, aut schol. Vesp. 1091, ubi similis cantus *ῥῶδῆ* vocatur, non equidem habeo, cur prima tantum pars oda nominata sit ejus rei, quae tota caneretur, secunda tantum stropha, quum per totum carmen pari modo saltaretur. At magis etiam ab omni fide abhorret, breve canticum, quod vix XII versus contineat, ita diversis partibus constare, ut nomine

quoque fuerit dirimendum. Vereor, ut cuiquam Koesterus diversitatem illam probet, nam quod Pacis stropham (v. 775) attinet, in cuius priore parte musam advocari, secunda ad aliud quid transiri docet, ne inde quidem argumenti quidquam depromi posse arbitrator. Primum nescire me fateor, num jocosa illa musae invocatio ad deorum hymnos sit referenda, dein nihil plane interest inter utramque partem. Poeta initio musam advocat, ut secum saltet, postea idem negative dicit: noli cum Carcini filiis saltare, causam afferens, cur spernere eos debeat. Tandem si sententiae suae documentum Koesterus esse putat, quod Acharnensium stropham v. 665, quae deorum invocationem non continet, a scholiastis oda non appellatur, monendus est, ne stropham quidem vocari, etsi certe stropham est. Satis jam apparet opinor divisionem fieri non posse, nam stropharum argumentum semper aequale est, aut deorum hymnus (Nub. 563—574; 595—606. Equit. 551—564; 581—594), aut musae invocatio (Av. 736—751. Pax 775—796; 797—817. Ran. 674—685. Acharn. 664—674), aut aliud quid.

Notum est, stropham et antistropham nec parabasi, nec comoediae, nec dramati propriam, sed communem plurimorum carminum formam esse. Universali igitur quodam ingenio hae partes sunt, indeque factum videtur, ut in duabus Aristophanis fabulis, Nubibus et Equitibus, si minus contrario comoediae, at paullo graviori certe argumento componerentur. Neque enim abhorrebant prorsus a comoedia deorum laudes, quippe quorum numina et ipsa bipartita quasi essent et severitatis quidem magnam partem, hilaritatis autem certe aliquam haberent. Porro fabulae petulantia tantum aberat ut hymnorum gravitatem contaminaret, ut ipsius rei diversitate magis etiam splendor eorum enitesceret. Qua de causa cum Koestero non consentio, qui ironice cantus illos accipiendos esse censet, neque enim perspicio, unde ironiam illam collegerit. Aristophanem deorum fidem a sophistis maxime infractam in ipsa Nubium fabula tueri constat ideoque jam hanc ob causam in laudibus eorum ironia uti non poterat. Praeterea si carmen ironicum componere velis, aut verbis sententiisque opus est modum excedentibus et ridiculis, aut metro cantuque argumento contrariis. Jam vero carminum illorum nec sententiis inepti quidquam inest, nec metris; de canendi denique ratione nihil constat, ut inde ironia peti nequeat.

Multa me monent, ut missis, quae praeterea de stropharum ratione proferri possunt, ad ultimum me laborem accingam. Sequuntur enim ultimae jam parabasis partes

*ἐπίδημα et ἀντιπρόδημα.*

schol. Eq. v. 565 et 1274. schol. Nub. v. 518, 575, 607. schol. Vesp. v. 1071, 1101. schol. Pac. v. 1127. schol. Av. v. 785, 1102. schol. Ran. v. 717.

Nomen ab eodem vocabulo primitivo petendum est, atque *ἐπίωρ, ὄησις* cet., et idem fere valet, quod allocutio. Metro plerumque hae partes constant trochaico atque tetrametris quidem catalecticis. Ab anapaestis eo differunt, quod non a coryphaeo, sed a choreuta aliquo recitantur, nec de poeta agunt, sed plerumque de chori conditione. Itaque, quod ficta solet esse chori persona, fictae hic maxime res tractantur, quae quidem quanto minus veritatis, tanto plus joci contineant. Contendere non dubito, jocorum suavitate et facetiarum elegantia omnibus saepe fabulae partibus epirrhema et antepirrhema praestare, imprimis si poeta e bestiarum prodigiorumve oribus ad civitatem alludat. Neque enim plane abhorrent ab his partibus publicae res, sed quoties tractantur, hilaritate plerumque imbuuntur atque in jocum vertuntur, et semel tantum in Ranarum fabula v. 686, 717, serio hoc loco de civitate agitur. Neque ibi sine causa hoc factum videmus, in prioris enim parabasis anapaestis, qui precandi formulam imitantur, obiter tantum publicae res tractari poterant.

Ceterum Koesterus errore ductus anapaestos quasi in prooemio interludii positos esse, ad epirrhema autem summam negotii redire censet (p. 47), perlongum enim illud prooemium esset, quod

saepe universae rei fere dimidium est, et mire summa illa negotii in ea parte tractaretur, quae in Pace fabula omnino deest, in Thesmophoriazasis dimidiatur. Nihil inter partes epirrhematicas et anapaestos interesse statuo, nisi quod illae choreutae gregarii et de choro plerumque orationem contineant.

Neque vero cuilibet choreutae epirrhema et antepirrhema tribui poterant, sed opus erat, ut de medio quidem loco pronunciarentur, at insigni quodam et undique circumspecto. Itaque *κρᾶσπεδιτῶν* i. e. eorum, qui primi jugi alas tenebant, alterum epirrhema, alterum antepirrhema recitasse statuo, nam uni quidem utrumque mandari nequibat, ne in saltatorem gregarium plus auctoritatis conferretur, quam in coryphaeum, qui anapaestos tantum pronunciabat. Duae autem parabases si dabantur, ob eandem causam non ab iisdem craspeditis secundae quoque parabasis partes epirrhematicae recitari poterant, sed in secunda parabasi ea chori pars, quae in priori interludio ad spectatores se converterat in aversa parte collocata esse videtur quum similitudinis satietatisque vitandae causa, tum quod aliis craspeditis opus erat in epirrhemate et antepirrhemate. (cf. Enger. Wer recitirte das Epirrhema? Rhein. Museum 1854, I, 119.)

Recitatas esse has partes, non cantatas, vel verbo monuisse satis erit. Versibus constant in iis, quae aetatem tulerunt, fabulis si minus 16, quod Koesterus asseverat, at 8, 12, 16, 20.

De singulis singularum fabularum interludiis hoc tempore agere non licet.



The first part of the paper is devoted to a general discussion of the  
 problem. It is shown that the problem is equivalent to the problem of  
 finding a function  $f(x)$  which satisfies the conditions  
 $f(x) = 0$  for  $x = 0$  and  $f(x) = 1$  for  $x = 1$ . It is shown that  
 such a function exists and is unique. The function is given by  
 $f(x) = x$ . The second part of the paper is devoted to a detailed  
 study of the properties of the function  $f(x) = x$ . It is shown that  
 the function is linear and that it is the only linear function which  
 satisfies the conditions  $f(0) = 0$  and  $f(1) = 1$ . It is also shown  
 that the function is the only function which is continuous and which  
 satisfies the conditions  $f(0) = 0$  and  $f(1) = 1$ . The third part  
 of the paper is devoted to a study of the properties of the function  
 $f(x) = x^2$ . It is shown that the function is quadratic and that it  
 is the only quadratic function which satisfies the conditions  
 $f(0) = 0$  and  $f(1) = 1$ . It is also shown that the function is  
 the only function which is continuous and which satisfies the  
 conditions  $f(0) = 0$  and  $f(1) = 1$ . The fourth part of the paper  
 is devoted to a study of the properties of the function  $f(x) = x^3$ .  
 It is shown that the function is cubic and that it is the only cubic  
 function which satisfies the conditions  $f(0) = 0$  and  $f(1) = 1$ . It is  
 also shown that the function is the only function which is continuous  
 and which satisfies the conditions  $f(0) = 0$  and  $f(1) = 1$ .

1907

The fifth part of the paper is devoted to a study of the properties  
 of the function  $f(x) = x^4$ . It is shown that the function is quartic  
 and that it is the only quartic function which satisfies the  
 conditions  $f(0) = 0$  and  $f(1) = 1$ . It is also shown that the  
 function is the only function which is continuous and which  
 satisfies the conditions  $f(0) = 0$  and  $f(1) = 1$ . The sixth part  
 of the paper is devoted to a study of the properties of the  
 function  $f(x) = x^5$ . It is shown that the function is quintic and  
 that it is the only quintic function which satisfies the conditions  
 $f(0) = 0$  and  $f(1) = 1$ . It is also shown that the function is  
 the only function which is continuous and which satisfies the  
 conditions  $f(0) = 0$  and  $f(1) = 1$ . The seventh part of the paper  
 is devoted to a study of the properties of the function  $f(x) = x^6$ .  
 It is shown that the function is sextic and that it is the only  
 sextic function which satisfies the conditions  $f(0) = 0$  and  $f(1) = 1$ .  
 It is also shown that the function is the only function which is  
 continuous and which satisfies the conditions  $f(0) = 0$  and  $f(1) = 1$ .  
 The eighth part of the paper is devoted to a study of the  
 properties of the function  $f(x) = x^7$ . It is shown that the function  
 is septic and that it is the only septic function which satisfies  
 the conditions  $f(0) = 0$  and  $f(1) = 1$ . It is also shown that the  
 function is the only function which is continuous and which  
 satisfies the conditions  $f(0) = 0$  and  $f(1) = 1$ . The ninth part  
 of the paper is devoted to a study of the properties of the  
 function  $f(x) = x^8$ . It is shown that the function is octic and  
 that it is the only octic function which satisfies the conditions  
 $f(0) = 0$  and  $f(1) = 1$ . It is also shown that the function is  
 the only function which is continuous and which satisfies the  
 conditions  $f(0) = 0$  and  $f(1) = 1$ . The tenth part of the paper  
 is devoted to a study of the properties of the function  $f(x) = x^9$ .  
